

**Variationes et additiones in Libris liturgicis Ritus Romani  
de memoria sanctorum Marthæ, Mariæ et Lazari**

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

**IULIUS**

29 Ss. Marthæ, Mariæ et Lazari

**Memoria**

IN MISSALE ROMANUM

Die 29 iulii

**Ss. Marthæ, Mariæ et Lazari**

**Memoria**

**ANT. AD INTROITUM**

**Cf. Lc 10, 38**

Intrávit Iesus in quoddam castéllum,  
et múlter quædam Martha nómine excépit illum in domum suam.

**COLLECTA**

Deus, cuius Fílius  
de sepúlcro ad vitam Lázarus revocávit,  
et in domo Marthæ dignátus est hospitári,  
da nobis, quæsumus,  
ut ipsi in frátribus nostris fidéliter ministrántes,  
cum Maríá verbi eius meditatióne pasci mereámur.  
Qui tecum.

**SUPER OBLATA**

In beátis tuis te, Dómine, mirábilem prædicántes,  
maiestátem tuam suppliciter exorámus,  
ut, sicut eórum tibi gratum éxstitit caritátis obséquium,  
sic nostræ servitútis accépta reddántur offícia.  
Per Christum.

**ANT. AD COMMUNIONEM**

**Cf. Io 11, 27**

Dixit Martha ad Iesum:  
Tu es Christus, Fílius Dei vivi,  
qui in hunc mundum venísti.



Captúro mortis trámitem  
dante soróre arómata,  
extrémi tu servítii  
vigil donásti múnera.

Iesu felíces hópites,  
corda nostra accéndite,  
ut illi gratæ iúgiter  
sint sedes amicítiæ.

Sit Trinitáti glória,  
quæ nos in domum cælicam  
admítiti tándem tríbuat  
vobíscum laudes cánere. Amen.

#### LECTIO ALTERA

Ex sermónibus sancti Bernárdi abbátis

(Sermo 3 in Assumptione beatæ Mariæ Virginis, 4. 5: PL 183, 423. 424)

#### *In domo nostra tria ministeria distribuit ordinatio caritatis*

Considerémus, fratres, quemádmódum in hac domo nostra tria hæc distribúerit ordinátio caritátis: Marthæ administratióem, Mariæ contemplatióem, Lázari pæniténtiam. Habet hæc simul quæcúmque perfécta est ánima; magis tamen vidéntur ad síngulos síngula pertinére, ut álii vacens sanctæ contemplatióni, álii déditi sint fratérnæ administratióni, álii in amaritúidine ánimæ suæ recógitent annos suos, tamquam vulneráti dormiéntes in sepúlcris. Sic plane, sic opus est, ut María pie et sublímiter séntiat de Deo suo, Martha benígne et misericórditer de próximo, Lázarus míserere et humíliter de se ipso.

Gradum suum quisque consíderet. *Si invénti fúerint in civitáte hac Noe, Dániel, Iob, ipsi iustítia sua liberabúntur, ait Dóminus: sed fílium aut fíliam non liberábunt.* Némini nos blandímur, útinam nec vestrum quíspiam se sedúcat! Quibus enim nulla crédita est dispensátio, administrátio nulla commíssa, his omníno sedéndum erit, aut secus pedes Iesu cum María, aut certe cum Lázaro intra septa sepúlcri. Quidni erga multa turbétur Martha, quæ sollícita est pro multis? Tibi vero cui nécessitas hæc non incúmbit, e duóbus unum est necessárium: aut non turbári pénitus, sed delectári magis in Dómino; aut, si id necdum potes, turbári non erga plúrima, sed, ut de se prophéta lóquitur, ad te ipsum.

Sed et ipsam quoque Martham admónitam esse necesse est, id máxime quæri inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Erit autem fidélis, si neque quæ sua sunt quærat, sed quæ Iesu Christi, ut sit inténtio pura; nec suam fáciat, sed Dómini voluntátem, ut sit áctio ordináta. Sunt enim quorum non simplex est óculus, et recípiunt mercédem suam. Sunt qui ferúntur própriis mótibus animórum, et contamináta sunt univérsta quæ ófferunt, quippe cum voluntátes eórum inveniántur in eis.

Veni nunc mecum ad nuptiále carmen, et considerémus quemádmódu(m) sponsus, ubi sponsam vocat, nec ullum omíserit ex his tribus, nec his addíderit quídquam. *Surge*, inquit, *própera*, *amíca mea*, *formósa mea*, *colúmba mea*, *et veni*. An non amíca est, quæ Domínicis lucris inténta, fidéliter ipsam quoque pro eo ponit ánimam suam? Quóties enim pro uno ex mínimis eius spirituále stúdiu(m) intermíttit, tóties pro eo spirituáliter ponit ánimam suam. An non formósa, quæ revelatá fácie glóriam Dómini speculándo, in eándem imáginem transformátur de claritáte in claritátem, tamquam a Dómini Spírítu? An non colúmba, quæ plangit et gemit in foramínibus petræ, in cavérnis macériæ, tamquam sepúlta sub lápide?

#### RESPONSORIUM

Cf. Io 12, 1-3

**R/.** Postquam Iesus suscitávit Lázarus, fecérunt ei Bethániæ cenam, \* et Martha ministrábat.

**V/.** María ergo accépit libram unguénti prestiósi et unxit pedes Iesu. \* Et Martha ministrábat.

**Oratio, ut ad Laudes matutinas.**

#### Ad Laudes matutinas

#### HYMNUS

Quas tibi laudes ferimúsque vota,  
nos tuis possint méritis iuváre,  
Martha, quam mire sibi corde iungit  
Christo amíco.

Te frequens visit Dóminus tuáque  
in domo degit plácida quiéte  
ac tuis verbis studiísque lætans  
teque minístra.

Tu prior fratrem quéris perísse,  
cumque María lacrimáta multum,  
áspicis vitæ súbita Magístri  
voce redíre.

Quæ fide prompta stábilem fatéris  
spem resurgéndi, Dómino probánte,  
ímpetra nobis cúpide in perénne  
pérgere regnum.

Laus Deo Patri, Genitóque virtus,  
Flámini Sancto párilis potéstas,  
glóriam quorum pétimus per ævum  
cérnere tecum. Amen.

**Ad Benedictus, ant.** Elevátis sursum óculis, voce magna Iesus clamávit: Lázare, veni foras!

## Oratio

Deus, cuius Fílius de sepúlcro ad vitam Lázarus revocávit, et in domo Marthæ dignátus est hospitári, da nobis, quæsumus, ut ipsi in frátribus nostris fidéliter ministrántes, cum Maríá verbi eius meditatióne pasci mereámur. Qui tecum.

## Ad Vesperas

**HYMNUS, ut ad Officium lectionis.**

**Ad Magnificat, ant.** Diligébat Iesus Martham et sorórem eius Maríam et Lázarus fratrem eius.

**Oratio, ut ad Laudes matutinas.**

## IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

*Addi debet ad diem 29 iulii primo loco elogium quod sequitur:*

**M**emória sanctórum Marthæ, Maríæ et Lázari, germanórum, qui, spírítu familiári Dóminum Iesum domo Bethaniæ famulánte excepérunt, aperiéntes cómiter aures et corda in audiéndis verbis divínis super regno cælórum credéntes in illum, qui resurrectiÓne mortem vicit.